



Q. D. B. V.

SERENISSIMO PRINCIPE, AC DOMINO,

FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO, ET ELECT. SAX. HEREDE,

ET RELIQA,

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,

PATHOLOGIAM

DEI,

DISSERTATIONE PRIMA,

PRAESIDE

HENRICO RAUSZNO

THEOL. DOCT. ET PROF. PVBL. EXTRAORD.

LOGIC. AVTEM ET METAPH. ORDINAR.

IN ACADEMIA VVITEMBERGENSI,

A. R. S. MDCCXIII. D. XX. DEC.

PVBLICE DEFENDET

M. IO. THEOPHILVS Hagenbruch

ECHZELLENSIS VVETTERAVVS.

VITEMBERGAE,

PRELO GERDESIANO.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PAUL H. RAVENHILL
MAY 1950

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PAUL H. RAVENHILL
MAY 1950

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PAUL H. RAVENHILL
MAY 1950



APHOR. I.

Qui sanctissimo Numini adscribi solent affectus, more scilicet de eodem loquendi humano, illi affectus vere proprieque sic dicti non sunt: Horum enim respectu Deus ἀπαθὴς dicendus erit.

EXPLANATIO.

§. I.

Quoniam plerique de affectibus summi Numinis quaesiti, respondere nihil aliud solent, quam quod affectus Deo quidem attribui ἀνθρώποπαθῶς possint, sed intelligi debeant θεοπρεπῶς, reapse autem ignorant, quid sint illi affectus, more divino explicandi, operae esse pretium videtur de affectibus Dei Disputationem aliquam instituere, eosdemque affectus, perinde ac Deo conveniunt, explicare: Praesertim cum illi, quos habemus de affectibus scriptores, *Augustinus Mascardus, Renatus, Cartesius, Ant. le Grand, Laelius Peregrinus, Scipio Claramontius, caeterique plures alii*, hanc de divinis affectibus doctrinam,

nam, aut leviter, aut prorsus non, attingant, vel certe de affectibus Dei speciatim consideratis, nullam tractationem plenam nobis reliquerint elaboratam: Neque enim illa sufficiunt, quae in eam sententiam tradit *Laur. Weger. in Patholog. Gener. Disp. 2. sect. 3.* Videbatur idem illud institutum praeterea utile esse et necessarium, cum propter adversarios quosdam, de affectibus sanctissimi Numinis non recte existimantes, tum propter controversias nonnullas theologicas, ipsamque adeo etiam sacri codicis interpretationem.

§. II. In illis vero, qui affectus Dei aliter exponunt, quam fieri debebat, facile primi ac praecipui sunt Sociniani, iisdemque in plerisque adhaerentes Arminiani: Hi enim perinde de affectibus Dei scribunt et sentiunt, ac si essent affectus vere proprieque sic dicti, a Deo ipso et natura eius revera diversi. Non dissimulant hanc opinionem, sed palam profitentur, eam *Conrad. Vorstius Lib. de Deo et Attribut. Divin. p. 461.* et *Iohann. Crellius Lib. de Deo et Attrib. Div. cap. XXIX,* quem merito cum Vorstio coniungimus, propterea, quod suum de affectibus Dei errorem manifestius, quam ille prodidit: Disertis enim verbis affectus Dei per *vehementiores divinae voluntatis commotiones describit, quibus voluntas Dei vel in obiectum aliquod vehementer feratur, vel ab eodem refugiat.* Horum vero vestigia persequi Arminianos, illud vel ex solo *Episcopii Lib. IV. Institut. Christ. c. XXII,* intelligi potest, qui in eo fortassis a Crellio distingui potest, quod, nonnullos saltem affectus, docet, Deo proprie ac per se convenire, caeteros autem, concedit, Deo tantum figurate attribui. Ut nihil dicamus neque de Iudaeorum hodiernorum ac Rabbiorum quas fingunt de Deo, atque affectibus Dei fabu-

fabu-

fabulis, a quibus prorsus alieni esse non possunt scriptores Cabbalistici; neque de Scholasticis illis, qui cum *Gilberto Porretano*, attributa affectusque Dei ab ipsa natura Dei reapse diversos esse volunt, damnatique vel maxime propterea sunt in Concilio Rhemensi. Vide de Iudaeorum fabulis et erroribus *Iob. Christoph. Wagenseil. Tela Ignea Satanae*, cum alias, tum maxime, p. 180. sqq.

§. III. Horum itaque adversariorum causa hic maxime asseritur, quod affectus vere proprieque sic dicti, hoc est, tales quales in hominibus insunt, non sint in Deo concipiendi, secundum illam vel definitionem, vel formalem rationem, affectuum, quam Philosophi suppeditare solent: Neque enim illud concedendum est, Scholasticis nonnullis, aut Vorstio et Crellio, quod affectus insint in ipso Deo formaliter, cum illud, quod Deo tantummodo virtualiter, atque eminenter convenit, formaliter, eidem adscribi nequeat. I. Propter naturam ac definitionem affectuum vere proprieque sic dictorum. Enim vero nulla est affectuum definitio, sive illa a Platoniceis, sive ab Aristotele, sive a Stoicis, sive ab Epicureis, sive a Cartesianis, sive a quibuscunque demum aliis expetatur philosophis, quae affectibus divinis congruat. Secundum Platonem et Platonicos si dixeris, affectus nihil aliud esse, quam *motus animi sine ratione concitatos et natos ex bono aliquo, aut malo, auctore Alcino, de Doctrin. Platon. c. 32.* necesse est, ut addas simul, quod huiusmodi affectus in Deum non cadant, quippe cui quam maxime repugnat omne illud, quod *ἄλογον* esse dicitur. Propter eandem causam longissime a Deo removendi sunt affectus Stoicorum: Hi enim opinati sunt, affectus nihil aliud esse, quam *irracionales et praeternaturales animi motus aut im-*

moderatas animi concitationes ac perturbationes habentes et opinionem pravam, et aliquam ὄρεξιν, seu impetum, testibus Diogen. Laert. in vita Zenonis, Cicerone in Lib. IV. Tusc. Quaest. et Lipsio in Manuduct. ad Philos. Stoic. p. 278. Quos affectus tantum abest, ut Deo attribuere possis, ut eos Stoicorum ex sententia usque adeo etiam a viro sapiente removere debeas. Quodsi cum Philosopho, ex 2. Rhetor. c. 1. affectus velis describere, per mutationes animi, coniunctas cum voluptate et dolore, aut cum scriptoribus Peripateticis, v. c., Iac. Thomasio in Tab. IX. Eth., per inclinationes animi oriundas ex cognitione boni et mali, vel cum Horneio, in Philos. Mor. p. 212., per vicissitudines animi coniunctas cum voluptate et dolore; necesse iterum habebis, ut dicas, huiusmodi affectus in Deum non cadere. Dicas cum Epicureis, ex Gassandi Syntagm. Philos. Epic. pag. 404. affectus esse motus animi in pectore, vel alio corporis humani parte, sive ex opinione boni et mali, sive ex perceptione boni et mali, oriundos. Dicas cum Cartesio, ex Lib. I. de Passio. Anim. Art. XXVII, affectus esse vel perceptiones, vel sensus, vel commotiones animae, quae ad animam speciatim quidem referuntur, producuntur autem, conservantur, et corroborantur per aliquem motum spirituum in sanguine et corpore. Dicas cum Christ. Thomasio, ex Praxi Phil. Mor. c. III. §. 70, affectus esse motus voluntatis humanae ad res gratas vel odiosas, easque absentes vel futuras, coortos ex fortibus impressionibus rerum externarum in cor hominis, et inde consecuto extraordinario sanguinis motu. Dicas, qualicunque etiam hac definitione nostra, affectus, vere proprieque sic dictos, esse commotiones iuxta ac passiones animi humani, quae oriuntur ex apprehensione alicuius obiecti vel boni, vel mali, grati, vel ingrati, quaeque coniunctae sunt, cum mutatione insigni

mo-

motuum sanguinis ac spirituum animalium in corpore humano. Haec enim omnia licet vehementer inter se discrepent, habeantque nonnulla non comprobanda, in eo tamen conveniunt, coniungique possunt, quod ostendunt, confirmantque nobis, nullam ex hactenus commemoratis affectuum descriptionibus esse, quæ affectibus divinis re ipsa, secundum significationem vocabulorum propriam, accommodari possit. Repugnat enim, Deo adscribere velle passiones iuxta ac commotiones, praesertim tales, quae coniunctae sunt cum mutatione insigni, cumque voluptate aut dolore animi pariter ac corporis.

§. IV. Removemus itaque merito a sanctissimo Deo porro affectus omnes vere proprieque sic dictos II. propter naturam ipsius Dei. Huius enim infinita est, et simplicitas, et perfectio, et maiestas, et beatitudo, et immutabilitas, per quam omnis omnino excluditur proprie sic dicta et commotio, et passio, et immutatio, et dolor, et voluptas, et opinio, et perturbatio, et *ὄρμη*, et si quid aliud eiusdem generis praeterea superest, quod ad affectuum naturam referunt Philosophi, inque eorundem descriptione ponunt. Deum, inquit propterea Augustinus, oportet nos concipere, si fieri possit, quantum potest, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ praesentem, sine habitu omnia continentem, sine loco et partibus ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem, Lib. V. de Trin. cap. 1. Simplex enim est natura Dei, atque ita imperturbata, ut neque aliud ipse sit Deus, neque aliud, quod habet, neque aliud, quod in Deo est, quo commovetur. Commovetur autem sine motu, poenitet eum et ipse nostri

nostri

nostri miseretur sine dolore, irascitur sine perturbatione, amat sine cupiditate et desiderio, vel, si desiderat aliquid, desiderat illud sine indigentia. Quod ipsum necesse est, ut doceatur, cum propter alias causas, tum maxime propterea, quod natura Dei tam est simplex et immutabilis, ut compositionem mutationemque omnem, tam iterum perfecta et beata, ut imperfectionem, passionem, dolorem, voluptatem, indigentiamque omnem, requisita denique etiam omnia affectus veri proprieque sic dicti, prorsus respuat.

§. V. Removentur etiam porro longissime omnes a Deo affectus veri proprieque sic dicti, III. propter illam loquendi rationem, prorsus singularem, quam scriptura sacra aliquoties adhibet, quando Deo affectus quosdam solet attribuere, quod Theologorum proprium est munus interpretari. Nobis, vel maxime propterea, sufficiet illud tantum monuisse, quod affectus perinde Deo in sacris literis, idque non raro, adscribantur, nimirum in abstracto ut loquuntur philosophi, uti ipsa Dei illa propria, quae attributa dicimus, ad Deum referri solent. Quemadmodum enim in sacro codice Deus et iustus dicitur, et ipsa iustitia, et verus et ipsa veritas, et vivus et ipsa vita, ne alia, quae innumera fere sunt, persequamur; ita vero idem ille Deus, et iratus, et ipsa ira, et amans, et ipse amor, et misericors, et ipsa misericordia, non raro dicitur. Nam et hoc ἐμφαιτικῶς scriptum esse, nemo non per facile intelligit, scilicet ut eo facilius consentiamus cum *Augustino*, et dicamus: *Quicquid de Deo secundum qualitatem videtur dici, illud secundum substantiam, vel essentiam est intelligendum, Lib. XVI. de Trinit. c. V.*

§. VI.

§. VI. Haec est ipsa illa causa quamobrem nonnulli Deum nominaverint ἀπαθήν, de quibus vide *Ioh. Affelmann. in Syntagm. P. I. Diss. IV. q. III. n. IV*, quos et nos supra imitati sumus, quando fatius esse asseveravimus, Deum ἀπαθήν nominare, quam adscribere eidem velle affectus veros et proprie sic dictos. Confirmat nos in hac sententia *Lactantius in Lib. de Ira Dei*, quando, c. XV. *non opus est, inquit, humanos affectus de Deo cogitare, quibus fragilitas nostra succumbit. Consideremus divinam necessitatem et naturam, per quam irascitur non affectus divinos.* Confirmant nos etiam ipsae sacrae literae, quae toties, Deum ἀπαθήν, h. e. immunem ab affectibus humanis esse, affirmant, quoties pronuntiant, Deum non esse hominem, qui mentiatur, aut filium hominis, quem alicuius rei poenitere possit, Num. XXIII, 23. 1. Sam. XV, 29. et alias. Quemadmodum proinde Deus videt, et intuetur omnia, sed sine oculis, intelligit, et iudicat omnia, sed sine iudicandi, atque intelligendi facultate, vult bona, et averfatur mala omnia, sed iterum sine appetendi et averfandi facultate; ita effectus affectuum, irae, misericordiae, amoris, caeterorumque nonnullorum, affectuum, Deus quidem revera exercet atque exerit, sed sine affectibus.

§. VII. Nihil promovebis, si cum *Vorstio* dixeris, affectus, formaliter, et per se consideratos, esse perfectiones, defectum non habentes, adeoque Deo formaliter adscribendos, cum in Deo, tanquam perfectissimo, omnem perfectionem residere oporteat. Principio enim illud frustra asseritur, quod affectus, per se, et formaliter considerati, nihil habeant infirmitatis; cum, omnium consensione philosophorum supra citatorum, affectus, per se et formaliter considerati, sint dicendi, vel commotiones, vel passiones verae,

B

quae

quae proficiscuntur ex apprehensione boni aut mali, vel commotiones et passiones simul. Sed vero utrumque est humanae imbecillitatis, adeoque etiam defectus alicuius argumentum, a Deo longissime removendum. Tum vero non oportet, ut doceas, in Deo formaliter inesse perfectiones omnes, praesertim illas, quas Philosophi perfectiones in suo genere, et secundum quid tales, nominant, in quarum numero affectus sunt collocandi. Satis est, si dixeris, perfectiones absolute tales inesse in Deo formaliter; reliquas vero perfectiones rerum creatarum, adeoque et affectus, non convenire Deo aliter, quam secundum virtutem producendi illas, et eminentissimo modo, hoc est, virtualiter, et eminenter. Atque hoc usque adeo est verum, ut non dubitaverint multi ex Theologis nostratibus asserere, quod multi affectus humani, ne quidem ἀναλόγως sint adscribendi Deo, si quidem paulo accuratius, quam fieri vulgo solet, loqui velis. In quam sententiam *Calovius System. Theol. T. 2. p. 269.* recte scribit, ut demonstret affectus humanos, accurate loquendo, non inesse in Deo ἀναλόγως: *Non necesse est, ut in Deo analogice reperiatur, quicquid in Deo est virtualiter et a Deo efficitur, alioquin creaturae omnes, bruta etiam, et materialia, et materia ipsa, quia a Deo sunt, in Deo analogice reperiri deberent, quod ἀτοπον.* Quo ipso etiam satisfactum esse putamus, tam Vorstii, quam Crellii, Episcopii, caeterorumque dissentientium exceptionibus reliquis omnibus.

APHOR. II.

Sunt affectus quidam per se mali, verbi causa, invidia, audacia, superbia, irrisio, seu ἐπιχαλγεκακία, et si qui sunt eiusdem generis affectus,
 plu-

plures alii, qui, etsi insint in homine corrupto, et angelis malis, Deo tamen ita prorsus adversantur, ut eidem, neque formaliter, neque virtualiter, neque ἀναλόγως, adscribi possint.

EXPLANATIO.

§. I. **N**ostrum non est, multis rationibus in medium allatis, demonstrare, quod sint affectus nonnulli per se mali. Relinquimus hoc ipsum potius illis, qui de moribus Philosophiam tradunt, ut hoc nomine *Renat. Cartesium, Henr. Morum*, et alios, accusent, quoniam illi usque adeo omnes affectus per se indifferentes esse, contendunt, ut ne invidiam quidem, caninum prorsus, et diabolicum istum affectum, per se malum esse, concedant, vide *Cartes. de Passion. Anim. Part. III. Art. 182. sq. et Henr. Morum in Enchirid. Ethic. Lib. 1. cap. 11.* Invidiam enim, quatenus est vitium, ab invidia, quatenus affectum significat, distinguunt, illamque in vitiis ponunt, hanc vero per se indifferentem esse perhibent. Conf. *Wesensfeld. Patbol. Pract. P. I. c. IV.*

§. II. Nobis sufficit praestruere primum illud, quod dentur affectus quidam per se mali, tum vero etiam asserere, quod in his facile primus invidiae affectus dici possit, quodque hic, vel maxime propterea longissime ab immortali sanctissimoque Deo removeri debeat. Enim vero α) invidia commotio est voluntatis ista, quae oritur ex apprehensione alicuius boni, quod, cum in aliis insit, nobis ipsis appetitur, atque aliis, nisi aegre, non conceditur. Est ergo invidia affectus prorsus inordinatus, qui et tristitiam et dolorem super alieno bono, et odium et cupiditatem alienae felicitatis, et plurima alia mala ma-

xima, simul complectitur. Horum vero vel unum velle Deo attribuere, blasphemum est. Deus enim, uti boni omnis auctor ipse est, sic etiam bene cupit omnibus, et neque bono invidere alius, neque bonum ullum odisse potest. Deus ipsa est benignitas, atque ita bonus, ut e malis etiam bona eliciat, tantum abest, ut vel bonum odio prosequatur ullum, vel in quoquam aegre illud ferat; at invidi tam mali sunt, ut etiam de bonis mala velint. Divina bonitas bona sua nobis omnia communicat; at invidus sua bona usque adeo non tantummodo non impertitur aliis, ut praeripere etiam eadem aliis conetur. Divinae benignitati bona placent; invidio displicent. Quamobrem recte iterum *Lactantius cit. loc. scribit: Invidia certis manifestisque de causis, in hominem cadit: In Deum nullo modo. Et gratia, et ira, et miseratio, habent in Deo materiam: Invidia in Deo nullam habet. Habet enim β) invidia nullam causam procreantem bonam, nullam causam conservantem bonam, nullum quoque exitum, quem per se relinquat, bonum. Quid mirum ergo, quod invidia tam longe a Deo removeatur? Non cadit in Deum, vel neglectus charitatis erga bonos, vel defectus cognitionis sui ipsius, vel aliis detrahendi studium, vel excessus amoris, relati ad bona aliis concessa, vel metus periculi ex aliorum felicitate expectandi, vel taedium absentis alicuius boni, vel huiusmodi quid eiusdem generis aliud, ex quo invidiae affectus alioquin et proficisci, et nutriri, et augeri, solet. Neque est, cur tu cum *Cartesio de Passion. Anim. P. III. art. 283: excipere velis, quod omnino invidia possit aliquando fieri bonus zelus, quando nimirum feratur in bona alterius, quibus ille revera indignus sit. Hoc enim offensionis genus, ne quidem, ita,*
uti*

uti in hominibus quandoque inest, aliter considerari debet, quam tanquam verae alicuius malevolentiae species; quoniam bonis aliorum invidere, hoc est, nimis in ea intueri, eademque aegre in aliis ferre nulla ratione licet: Tantum abest, ut ex invidia zelus bonus ullo aliquo modo fieri, aut Deo adscribi invidiae affectus, possit. Scilicet in abusus bonorum, hominibus concessorum, non in ipsa bona, Deus odium habet. Ergo et illi Deum non imitantur, sed eidem potius adversantur, qui bonis aliorum quibus abutuntur, invident, cum deberent bonorum abusus solos in aliis aegre ferre, non ipsa bona aliorum. Deus, γ) uti omnem invidiam cum suis speciebus maxime averfatur, eademque in sacris literis aliquoties prohibuit, ita etiam in invidos animadvertere constituit, Lev. XIX, 17. Ps. XXXVII, 7. XL, 15. Gal. V, 20. I. Cor. XIII, 4. Ipse igitur invidus esse, atque aliorum bonis moerere nulla ratione potest. Vt non commemoremus, δ) invidorum mores et propria invidiae ipsius, quae ab attributis Dei tantopere denuo abhorrent, ut lux a tenebris; ut homines quidem in Daemones convertere invidia, Daemonibusque maxime propria esse, intelligatur, DEO autem, et inexhaustae eiusdem bonitati, ac perfectioni aperte et simpliciter repugnet.

§. III. Idem illud rationibus simillimis, et aequae copiose ut, demonstratur de audaciae affectu, necesse non erit: Omnes enim per facile intelligunt ac vident, vel nobis tacentibus, audaciam vel significare vitium, fortitudini oppositum, idque secundum hanc significandi rationem, a Deo necessario et longissime removendum esse; vel audaciam poni pro affectu per se malo, atque

ita denuo in sanctissimo Deo locum non habere. Satis proinde erit observare tantummodo illud, quod audacia quandoque in numerum affectuum referatur eorum, quos alioquin per se indifferentes nominant: Hoc enim sensu *Cartesius de Passion. Anim. art. 172.* audaciam per eiusmodi affectum describit, *qui disponit animum ad res eas exequendas, quae habent multum periculi*, additque audaciam affectum per se malum non esse. Hoc sensu etiam audacia nonnunquam in laude ponitur, ut dixeris cum *Propertio Lib. 2. Eleg.*

Etsi deficient vires, audacia certe

Laus est: In magnis et voluisse sat est.

At enim vero, si dicendum quod res est, concedendum nobis illud erit, quod hac ratione fidentia seu fiducia cum audacia commisceatur, quod fieri non debuisset, de qua, utrum in Deum cadat, infra disputabitur. Dicamus ergo, (magis accommodate ad naturam audaciae loquendo,) audaciam, proprie sic dictam, esse affectum per se malum, nihilque aliud, quam huiusmodi commotionem humanae voluntatis, qua animus hominis, supra modum et nimis vehementer, concitatur ad pericula subeunda, quae supra hominem posita sunt, quae animi commotio praeterea cum multis magnisque corporum humanorum mutationibus ac motibus coniuncta est. Talem vero affectum Deo non convenire facillimum erit ad confirmandum: Deus enim (1.) non admittit aliquid quod per se malum sit, nihilque aliud, quam motus inordinatus, suo obiecto prorsus contrarius, cum sit infinite perfectus, sanctus, purus, iustus. Deus ne commotiones quidem suae voluntatis veras, ne dum motus iusto vehementiores recipit. In Deum (2.) pe-

(2.) pericula nulla subeunda cadunt, quippe qui omnino nihil habet, quod metuat, qui neminem habet, a quo in periculum aut discrimen vocari possit. Deo etiam (3.) maximopere adversantur, non dicam audaciae effectus, sed et causae eiusdem omnes, et propria, quibus alioquin a caeteris affectibus distingvi solet. Enimvero non inest in Deo neque ignorantia futuri exitus, quae inest in audacibus, quippe quam excludit divina omniscientia, neque esse potest in Deo spes superandi pericula, supra vires posita, quippe quae pugnat cum omnipotentia divina, neque in DEO datur, temperamentum cholericum sanguineum aut iusto vehementior sanguinis commotio, aut excessus bilis, propter simplicitatem Dei, neque huiusmodi quid aliud, quod nunc ad causas, nunc ad propria audaciae referri solet.

§. IV. Superbia vero non solum, quatenus vitium, sed etiam quatenus animi affectum, significat, hoc est, commotionem voluntatis, semet ipsum aliis praefereendi, suaeque bona supra modum efferendi, illa tam est tota, et per se, ex causis suis omnibus, mala perverfaque voluntatis commotio, ut crediderim affectum nullum Deo esse contrarium infestumque magis, quam hunc superbiae affectum. Haec enim illa est, propter quam Deus dicitur in sacris literis non tantummodo superbos omnium maxime odisse, verum etiam illis omnium maxime resistere, deturbare eos prorsus ac penitus deiicere, perinde ac si nulli essent hostes Deo debellandi magis, quam superbi, nihilque magis alienum, aut longius a Deo remotum, quam iste superbiae affectus. Deus immortalis neminem superiorem habet, ipse summus est, et omnia summa sunt in eo. Quis ergo ille futurus est,

est,

est, cui Deus se praeferret? Et quid tandem illud vel est, vel fuit, vel futurum est, supra quod seipsum efferre Deus posset? Tunc vero vel ullam superbiae causam, vel superbiae effectum ullum, vel mores superbiorum, tam sancto Numini divino velles adscribere? Cum ne *Cartesius* quidem, (qui tamen, quos potuit, affectus, saepe pessimos, magnopere collaudavit,) ausus fuerit superbiae affectum in rebus indifferentibus numerare, aut viro vere prudenti eundem attribuere, *Libr. de Passion. Anim. Art. 147.* Nefas igitur, et blasphemum esse existimemus, velle de Deo huiusmodi quid pronuntiare, quod ne in hominem quidem vere sapientem cadere reapse potest.

§. 5. Quod attinet ad irrisionem, quam in affectuum numero et *Cartesius*, et plures alii scriptores, ponunt, illa usque adeo non videtur adversa esse Deo, ut fuerint nonnulli, qui scripturae quaedam oracula, imprimis illa, quae occurrunt *Gen. II, 22. Psal. II, 4. Prov. I, 26.* et eiusdem generis alia, de hoc irrisionis affectu interpretati sunt, vel certe existimarunt, irrisionis ἀνάλογον quid adscribi Deo posse. Ita, verbi causa, *Ambrosius* ad illa verba Dei ex *Gen. II, 22. ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis*, scribit, *de Elia et Ieiun. cap. 4. Irridens Deus, non approbans, haec dixit.* Sic denuo *R. Kimchi* in *Psal. II.* ad illa verba, quae leguntur in vers. 4. dicitur hoc, inquit, de Deo benedicto, more hominum, quia irridet hostes suos, quemadmodum homo irridet, et subsannat illum, quem contemnit, quique nihil aestimatus est in oculis eiusdem. Ipse *Glassius* in *Philol. Lib. V. seu Rhetorica sua sacra Tr. I. cap. V. et VII.* non tantummodo ἀνθρώποπαθώς, verum etiam ἀναλόγως, exponit irrisionem Dei, quae in citatis antea locis,
de

de Deo asseritur, addit etiam idem auctor illud, quod citata loca *ironice non minus quam sarcastice exponi debeant*. Horum itaque causa, (et quoniam *Cartesius de Passion. Art. 178*, irrisionem tanquam affectum, si non semper bonum, tamen per se indifferentem describit,) non immerito quaeritur, utrum irrisio fieri quandoque affectus bonus possit in hominibus, ut ab his deinde κατ' ἀναλογίαν ad Deum transferri possit? Nobis scilicet ita visum huc usque semper est, fatius, et ad Dei naturam infinitis modis perfectam magis accommodatum esse, si docere velles, quod irrisio adscribatur Deo nec formaliter aut secundum significationem huius vocabuli propriam, nec ἀναλόγως, sed tantummodo negative I. Propter naturam irrisionis, quam ipse *Cartesius* ita describit, ut intelligere omnes possint, irrisionem esse revera aliquam ἐπιχαιρεκακίας speciem, quam nos supra, vel maxime propterea cum irrisione, coniungere volumus. Irrisio affectum esse ex laetitia et odio mixtum compositumque, illud ex *Cartesio* recte dixeris: Est enim irrisio huiusmodi commotio voluntatis, quae oritur ex apprehensione illius mali, quod in alio inesse deprehendimus, quoque eum dignum esse iudicamus pariter et gaudemus, idque risu plerumque significamus, aliisque corporis nostri commotionibus non multum dissimilibus. Addas vero etiam cum *Wesensfeldio*, in *Georgic. Anim. et Vitae P. I. c. IV. §. X.*, quod irrisio atque ἐπιχαιρεκακία non sit affectus nudus, sed exorbitantia et excessus affectuum, gaudii, odii, et doloris, qui proficiscatur ex tali determinatione motus versus suum obiectum, quae divino ordini legique repugnet, ac moralem turpitudinem involvat. Enimvero irrisio, etiam formaliter considerata, invol-

C

vit

vit talem motum, quo malum alteri libenter attribui-
 mus, eundemque hoc dignum esse, laetamur: Cum ta-
 men ob mala, neque per se considerata, neque quate-
 nus alteri eveniunt, qui iis dignus putatur, laetari lice-
 at, uti per alias leges, ita vero maxime propter chri-
 stianae charitatis legem. Accedit illud, quod irrifio,
 formaliter iterum spectata, involvat quoque odium con-
 temptumque illius, cui mala accidunt; quod ipsum de-
 nuo, et semper quidem, in vitio ponendum est, osten-
 ditque, irrifionem et ἐπιχαιρεκακίαν, si rem respicias,
 unum esse atque idem. Natura ergo Dei cum natura
 irrifionis atque ἐπιχαιρεκακίας usque adeo pugnat, ut
 aperte ac simpliciter repugnet, Deo velle adscribere ir-
 rifionem vel formaliter, vel eminenter, vel ἀναλόγως,
 vel virtualiter consideratam: Perinde enim illud esset,
 ac si diceres aliquid, quod per se malum est, inesse in
 Deo vel formaliter, vel eminenter, vel ἀναλόγως, vel
 virtualiter, quod impium et blasphemum esset. Hac
 ratione neque illud valet, si velles dicere, irrifionem aut
 ἐπιχαιρεκακίαν considerari posse, vel secundum existen-
 tiam, uti plerumque inest in hominibus; vel secundum
 essentiam, uti inesse debebat, quorsum inclinatur *Iob. Fr.*
Buddeus in Theol. Moral. P. I. cap. I. §. VI. §. 22., quasi vero
 irrifio non posteriori, sed priori considerandi modo tan-
 tummodo aliquid turpitudinis inferat: Est enim hacten-
 us evictum satis, quod etiam formaliter et per se, se-
 cundum naturam atque essentiam suam irrifio spectata
 habeat aliquid mali. Satius itaque est Deo non adscri-
 bere irrifionis atque ἐπιχαιρεκακίας affectum, neque for-
 maliter, neque virtualiter, neque ἀναλόγως, 2.) propter
 eiusdem affectus subiectum et propria. Proprius hic af-
 fectus

fectus dicitur esse, vel iudice ipso *Cartesio cit. loc.*, Diaboli, necnon malevolorum, levissimorumque hominum, vel certe illorum, quos Cartesius imperfectissimos nominat. At enimvero, quis Deo malevolentiam, levitatem, aut imperfectionem adscribet, sine impietate maxima. Proprium irrisionis est, esse, et quidem per se, abominationem coram Deo, id quod Theologi ex sacris literis confirmant: At quomodo illud, quod coram ipso Deo est abominatio, inesse in ipso Deo potest ἀναλόγως? Proprium est irrisoris esse superbum, esse alienum a vera charitate, et commiseratione, esse iniquum, aut petulantem, aut temerarium in aliorum malis diiudicandis, et quae sunt innumera eiusdem generis alia, quae iterum tantopere abhorrent a natura sanctissimi purissimique Numinis, ut quam maxime. At, dixeris tu, quid vero tandem ergo illa sibi vult irrisio, quam, citatis supra locis, sacrae literae in Deo ponunt? Et respondetur, illa loca aut non tractare de irrisione, aut irrisionem, sine ἐπιχαιρεκακία, hoc est, irrisionem, neque formaliter, neque virtualiter, neque eminenter, neque ἀναλόγως, sed negative explicandam in his locis Deo tantummodo adscribi. Ita, verbi causa, illa verba, quae leguntur Gen. III, 22. ecce Adamus est factus sicut unus ex nobis, non sunt verba Dei irridentis, sed commiserantis et exprobrantis. Quae supersunt iam antea citata loca sacri codicis, ex Ps. II, 4. LIX, 9. Prov. I, 26. III, 34. Ierem. XLVIII, 27. et reliqua, illa exponantur de irrisione Dei negative spectata, quae significat non affectum, vel ἀνάλογον quid humanae ἐπιχαιρεκακίας, sed actum et effectum iustitiae divinae, consistentem partim in denegatione commiserationis, partim in iustissima-

rum poenarum divinitus immiffarum approbatione. In hanc fententiam *Gregorius M. Lib. IX. Mor. c. XX, ride-
re Dei*, inquit, *eft humanae afflictioni nolle mifereri*. Adde, fi placet, interpretationem *Lutheri fuper Pf. II. et XXXVII.*, qua obfervat, quod tum dicatur Deus irridere impios, quando, pro fua iuftitia efficit, ut irridendi et fubfan- nandi obiiciantur, quafi ludibrium, et exponantur omni- bus. Sed noftri non eft instituti copiofius illa inquirere aut confirmare: Relinquamus illud Theologis, quorum hoc proprium eft munus, et ad reliquos descendamus, fi qui fuperfunt eiusdem generis, affectus alios.

§. VII. Scilicet non ignoramus, quod nonnulli fcri- ptores affectus per fe malos plures recitent, quam fa- ctum haftenus a nobis eft, inque horum numero po- nant ingratitude, zelotypiam, pusillanimitatem, de- fperationem, et affectus nonnullos alios, de quibus, utrum in Deum cadant, vel maxime propterea, nunc di- fputandum reftat. De ingratitude non male obfer- vat *Cartefius de Paffion. Anim. Art. 194.*, quod *paffio feu affe- ctus animi, proprie loquendo, non fit, fed merum vitium, gratitudini contrarium*. Hoc vero ufque adeo infeftum denuo Deo eft, et ufque adeo in Deo non admitten- dum, ut potius, eodem auctore Cartefio, *proprium fit ho- minum brutorum, et ftolide superborum, qui putant omnia fibi deberi; aut ftupidorum, qui nullam faciunt reflexionem ani- mi ad beneficia, quae accipiunt; aut imbecillimorum, et ab- iectorum, qui, ubi sentiunt infirmitatem et egeftatem fuam, demiffe quaerunt auxilium aliorum, quod ubi funt confecuti, eos odio profequuntur, quia deftituuntur voluntate paria re- ferendi*.

§. VIII.

§. VIII. Zelotypiam affectum esse per se semper malum, illud *Christ. Thomafius* docet in *Praxi Phil. Moral. cap. XIII. n. 50. seqq.*, idque multis rationibus confirmat, cum contra alios, tum maxime contra *Cartesium*, qui in contrariam partem contendit asserere, quod zelotypia, per se considerata, non sit affectus omnino et semper malus, sed potius indifferens *de Passion. Anim. artic. 167*, quam sententiam quoque *Philaretus* in *Ethic. P. I. c. VII. §. VI.* tuetur ac defendit. *Buddeus*, in *Theol. Moral. P. I. c. I. §. VI. §. 24*, modum suppeditat conciliandi eos, quando observat, distingvi zelotypiam debere in proprie et improprie sic dictam. Proprie sic dictam affectum esse, dicit, *ex amore carnali, libidinoso maxime, et odio compositum, ideoque sua natura vitiosum, ob affectuum contrariorum concursum, in effectus ridiculos et magnam mentis impotentiam.* Tum vero subiungit, zelotypiam improprie sic dictam usque adeo non habere per se aliquam turpitudinem, ut in Deo etiam eandem concedere, videatur. *Glassius* vero, in *Rhetorica Sacr. Tr. I. cap. VII. p. 121.* disertis verbis et zelum, et zelotypiae affectum, Deo attribuit, idque, (non distingvendo zelum a zelotypia,) ex *Esa. IX, 7. Zach. I, 14. 15. Ioel. II, 18. Exod. XX, 5.* et multis aliis scripturae locis, confirmat. Nobis, ut inquiramus, utrum, et quo sensu, zelotypia Deo conveniat, sufficit observare i.) quod zelus et zelotypia non sint omnino unum atque idem, licet utrumque in sacris literis uno et eodem vocabulo קנאה exprimatur: Differunt enim, uti latius ab angustiore, ut omnis quidem zelotypia involvat, suo nempe modo, zelum, sed non statim contra omnis zelus etiam dici possit zelotypia, ne dicamus de aliis haec

duo vocabula distingvendi modis. Ex quibus illud relinquitur, quod non statim eadem loquendi et significandi ratione Deo fit adscribendus et zelus, et zelotypia. De zelo Dei infra, Dissertat. Consequent., disputabitur, quippe de quo illud certo constat et demonstrari potest, illum non esse affectum per se et semper malum, sed sua potius natura indifferentem, eundemque propterea de Deo aliter pronuntiari posse et debere, aliter etiam in Deo in esse, quam zelotypiam. De zelotypia, quae est huius loci, sufficit 2.) observare, quod, quando proprie consideratur, uti in hominibus inesse solet, sit affectus cum maxime mixtus et compositus, tum vero etiam maxime inordinatus, ut vel nunquam, vel rarissime, sit talis, qualis debebat esse, certe nunquam in homine inesse possit, sine multis magnisque infirmitatibus, quae Deo aperte et maximopere repugnant. Hac igitur significandi ratione zelotypia rectissime a Deo, quam fieri potest, longissime removetur; si non propterea, quod hic affectus per se malus est, tamen propterea, quod nunquam sine imbecillitate maxima se exerit. Observamus 3.) quod non sufficiat, si dixeris, zelotypiam convenire Deo *θεοπροπῶς*, et secundum significandi rationem huius vocabuli impropriam, quod vulgo fieri solet: Nondum enim intelligitur, utrum velis concedere, quod zelotypia sit in Deo *ἀναλόγως*, secundum *ἀναλογίαν*, quam intrinsecae attributionis *ἀναλογίαν* nominant Philosophi? Observamus, vel maxime propterea, 4.) quod satius sit adscribere Deo zelotypiam eminenter, quam *ἀναλόγως*: Hoc enim magis conveniens

niens

niens est cum infinita Dei perfectione, puritate, iustitia et sanctitate, quam si velis ἀνάλογον quid zelotypiae humanae in Deo concedere, idque deinceps interpretari secundum ἀναλογίαν commemoratam. Tum vero zelotypiam eminentiori sensu Deo attribuere dicimur, quando in Deo concipimus aliquid inesse perfectius, quam affectum zelotypiae, a quo effectus nonnulli ardentissimae dilectionis, imo etiam irae divinae derivantur, quos effectus intensissimi amoris pariter atque iustissimae vindictae divinae semper intelligendos esse putamus, non vero affectum zelotypiae, quoties zelotypiam sacrae literae de Deo pronuntiant, aut affirmant, quod ad zelotypiam Deum homines provocaverint. Nisi fortassis, quaedam etiam scripturae loca de zelo Dei, non autem statim de eiusdem zelotypia, sint exponenda. Vide, praeter loca superiora, Num. XXV, II. Zach. VIII, 2. Observamus §.) quod, quando zelotypia ἀναλόγως in Deo esse, conceditur, necesse fit, ut tum zelotypia non dicatur esse aliquid per se et sua natura malum, quoniam, quod per se malum est, illud ne quidem ἀναλόγως adscribi Deo potest. Quo autem demum cunque modo zelotypia Dei in Deo concipiatur, necesse est, ut exponatur partim tanquam effectus amoris Divini erga illos, quos diligit, partim ut effectus irae seu iustitiae divinae, erga illos, quos odio prosequitur, idque sine omni et imperfectionis et compositionis argumento: Ex his enim duobus concipiendi modis conceptus noster de Dei zelotypia verus componitur.

§. IX. Pusillanimitas, quae describitur a *Cartesio*, de *Passion. Anim. art. 174. per languorem et frigus, quo impeditur*

tur

tur animus, ne feratur ad ea peragenda, quae faceret, si isto affectu careret, consentiente ipso Cartesio, nullum usum bonum aut utilitatem habere dicitur. Secundum alios aliter describitur, ut intelligi possit, quod plerumque quidem, nempe in bonis rebus suscipiendis, aut malis perferendis, habeat rationem affectus mali, at in malis tamen evitandis possit habere rationem affectus boni. Nunc scilicet, ut langvidior audaciae gradus, nunc ut species metus, nunc aliter denuo considerari solet. Quo autem cunque modo describatur aut spectetur, illud nobis quidem nunc perinde esse potest, quandoquidem, vel ex his solis, iam apparet, quod pusillanimitas, secundum omnes causas, quas habet, et propria et effecta, perque formalem quoque, quam habet, rationem repugnet Deo.

§. X. Idem esto iudicium de desperatione, cuius tamen signa *Episcopus* in Deo dari, *cit. supra loco*, concedit, quem vel ex sola descriptione desperationis, quam ipse suppeditat, (*desperatio, inquit, est boni desiderabilis, et desiderati, sed verosimiliter, consideratis omnibus considerandis, non eventuri non continuata, sed abrupta, expectatio,*) refutare possemus, si per pagellarum, huic dissertationi primae destinatarum, angustias liceret. Reservabimus ergo haec dissertationibus consequentibus prope diem subiungendis, praesertim cum nondum inter omnes constet, sit ne desperatio in numero affectuum per se malorum ponenda, an minus.



